



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum XIX. Is cui.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

consuetudo Ecclesie sit, ut provisus per alium introducatur apprehendere non prohibeatur, tamen id locum non habet, si alius in possessione sit, tunc enim eum propria auctoritate repellendo violentiam iniustam inferre, atque seipsum intrudere censetur, *argum. L. si ex stipulatione §. ff. de acquirenda possessione & tradit Abb. in c. super de causa possessionis & proprietatis*. Et fufius explicavi in *disp. de Pralatis q. 113*. Quod autem non omnis, qui se intrudit, violentia utatur, per se notum est.

Præter hos modos intrusionis, quorum primus fuit violentiæ, alter, si quis absque Canonico titulo, sive sine collatione, aut institutione facta per Superiorem Ecclesiasticum beneficii possessionem aut administrationem usurpet, *c. ad aures 3. de excessib. Pralatorum*. Alij plures numerantur apud *Selva tract. de beneficiis p. 3. q. 11. n. 11.*

4 Intrusionis pœna est, quod intrusus inhabilis fiat ad id beneficium, in quod se intrusit, adeo ut in ejus asecutione necessarium sit fieri mentionem intrusionis, quia alioquin præsumitur, Papam non concessurum fuisse, si vitium intrusionis scivisset, prout ex communi docet *Abb. in c. cum jam dudum n. 3. hoc tit.* ubi ait, id notandum contra eos, qui se intrudunt in beneficio, auctoritate potestatis secularis, quia non intrant per ostium, sed aliunde conscendunt, & ideo indigni sunt pastoris nomine, vel prærogativâ, *c. relatum 21. de jure patronatus*, idemque *Rebuff. in Regula Cancellaria 29. ubi de intrusione. Felin. in c. postulasti. de rescriptis in fine*. Ubi tamen is docet, si talis intrusus aliud beneficium postulet, facta mentione de primo, sed dissimulata intrusione, impetrationem secundi validam esse, eò quod intrusio videatur quid extrinsecum, ad impetrationem beneficii secundi, atque nullo jure expressum, quod intrusio aliquem inhabilem reddat ad alia beneficia assequenda. Verùm id reperies expressum in *Consil. Lateranensi Generali sub Leone X. Sess. 10.* collationes

(à Principibus Laicis) factas nullas, & irritas esse decernimus, ac illis utentes reddantur inhabiles ad alia beneficia Ecclesiastica obtinenda, donec cum eis super hoc per Sedem Apostolicam fuerit dispensatum.

Notandum tertio. Qui beneficium Ecclesiasticum, dignitatem, aut personatum per vim propria auctoritate occupat, jus, & quod in eo habet, in criminis pœnam amittit. Quade re dixi *lib. 3. tract. 1. de justitia c. 7. in fine*, ubi annotavi ejusmodi pœnas, cum sint juris acquisiti privativæ, in conscientia non obligare ante judicis sententiam.

Corollarium. Discrimen est, quod is, qui curatum beneficium per vim occupat, illud ipsum, si jus in eo habeat, amittere debeat, & alio curato prius habito destituitur: qui autem beneficium non curatum per vim accipit, id solum, si in eo jus habet, amittere cogitur, non item alia prius obtenta. Ita sumitur *ex 2. & 3. notando*.

CAPITULUM XIX.

Is cui.

PARAPHRASIS.

Si Papa tibi gratiam fecerit, ut in tua, vel alia quadam Ecclesia, uni idoneæ personæ beneficium providere possis, non potes providere alicui jam habenti sufficientis beneficium, nisi illud dimittat, vel nisi in concessione, seu gratia expressum sit, quod personæ etiam beneficiatæ conferre liceat; hoc enim casu providere poteris alicui habenti beneficium unicum tantum, dummodo id curatum non sit; quod si verò concessum tibi sit, ut providere possis alicui alia beneficia habentis, ita pluralitas ad duo, quæ sine cura Animarum sunt, restringi debet: sin aliter provisio fiat, irrita censenda est.

SUMMARIUM.

1. Strictam potius, quam amplam interpretationem mereatur facultas à Pontifice

nifice alicui concessa ad conferenda beneficia.

1. Si in rescripto Papali expressum fuerit, quod persona iam beneficiata conferri possit beneficium, de uno præterea conferendo intelligi gratia debet; & de duobus, si clausula in generalis dicat, quod alia etiam beneficiata tali beneficio conferri possint.

Notandum. Facultas concessa alicui à Pontifice ad beneficia conferenda, potius strictam, quam amplam interpretationem meretur, quatenus Ordinarijs collatoribus præjudicat, vel contra jus commune tendit, ac dispensationem requirit. Ita videtur intelligenda decisio hujus cap. nam alioquin obijci potest doctrina Lapi communiter recepta in c. dudum in fine. hoc lib. & sit. quod facultas concessa ad conferendum beneficia, cum sit gratia Principis, latam interpretationem habere debet, ita ut etiam curata comprehendat, argum. c. olim 16. de verb. significatione.

Responderi enim debet primò, cum Dim. hic col. ult. Franco n. 3. Sanchez lib. 8. de matrimonio disp. 2. n. 3. facultatem conferendi beneficia, tanquam gratiam Principis latè esse interpretandam, ut proinde omnia etiam curata beneficia comprehendat, quatenus agitur de præjudicio concedentis; exempli causà, si Pontifex deleget alicui facultatem conferendi beneficia mensium Papalium: at verò strictius esse interpretandam facultatem, quatenus alijs ordinarijs collatoribus præjudicat, secundum Gl. finalem receptam in cit. c. olim, quod Principis privilegium ita interpretandum sit, ut non multum lædatur jus tertij. Quare regula statui potest, cum Sanchez. cit. loco, quod gratia Principis, quatenus alteri præjudicium gignit, odiosa, ideò que strictè interpretationis esse debeat.

Secundò, Responderi potest cum Anoborano hic not. 4. gratiam à Principe concessam ita interpretandam esse, ut quam fieri potest, ad materiam, sive objectum, jure communi prohibitum, non extendatur;

sicuti enim jus commune favorabile est, ita quæ ei adversantur, odiosa censerentur; quam ob rem concessa alicui facultas conferendi beneficia intelligi debet conformiter juri communi, seu sicuti jus commune permittit, ac postulat; non autem permittit, sed vetat habenti unum sufficiens beneficium, aliud conferri, ergò in facultate conferendi beneficia, nisi aliud exprimitur, subintelligi debet, ut ijs conferatur, qui aut nullum aut non sufficiens habent. Confirmatur. Facultas conferendi beneficia, & facultas dispensandi super beneficiorum pluralitate diversa sunt, à diversis autem fieri non potest illatio.

Addendum verò est, licet in facultate conferendi beneficia expressum sit, quod personæ beneficiatæ, conferre liceat, id tamen strictè interpretandum esse, ut non, nisi unum beneficium habenti, alterum conferre concessum sit; sin autem dicatur, quod ei personæ conferri possit, quæ alia beneficia obtinet, accipi debet duntaxat de duobus, juxta Juris regulam 40. in 6. pluralis locutio duorum numero est contenta. Idèd autem nomine beneficiorum in hac materia non comprehenduntur curata, quia ob specialem residendi aliorumque munerum obligationem, Canones peculiariter prohibent, ne curatis alia beneficia conferantur.

Obijcies. Tametsi dispensatio super pluralitate beneficiorum strictam interpretationem mereatur, tamen ipsam facultatem dispensandi latè esse interpretandam, propter theoriam traditam à doctoribus cit. disp. 2. licet facultas dispensandi remotè tendat in juris communis relaxationem, & præjudicium, tamen directà & principali intentione continet gratiam, & favorem Principis; in omni autem re principale propositum inspicere debet L. si quis 4. L. rogasti 11. ff. si certum petatur. Respondeo, ordinariè quidem verum est, quod dispensandi facultas latè interpretanda sit, quia, cum constet Principi propositum fuisse facultatem alicui concedere, & jura relaxare, id-

T 3

que

que ex gratia, & favore erga ipsum, talis favor latam interpretationem meretur; verumtamen excipi debet, nisi dispensatio versetur circa materiam valde præjudicialem, aut noxiam, præsertim Ecclesijs, quandoquidem omnis gratia Principis ita intelligi debet, ut quàm fieri potest, non tendat in aliorum, præsertim communitalis, aut Ecclesiæ, seu directè seu remotè præjudicium, ac damnum, prout *Anchoran. hic* notat n. 4. *Felin. in c. postulasti n. 11. de rescriptis, Sanchez. cit. disp. n. 3.* Cùm itaque beneficiorum pluralitas Ecclesijs valde noxia sit, atque ministrorum paucitatem, inæqualitates, ac querelas, atque divini cultus diminutionem concilians, ideo facultas dispensandi in tali pluralitate strictam habere debet interpretationem. Vide, quæ docui *lib. 1. tract. 4. c. 23. n. 6. & 7.*

CAPITULUM XX.

Si beneficia.

PARAPHRASIS.

Si accidat, ut postquam Papa beneficia contulit, vel ea collationi suæ reservavit, ordinarius collator ejus rei ignarus, eadem beneficia alijs contulerit, qui propterea beneficia sua priora propter incompatibilitatem, vel pluralitatem resignarunt, hoc casu, ne inculcata ignorantia eis damnosa sit, statuit hic Bonifacius VIII. ut si ipsi post cognitam Papæ collationem, vel reservationem beneficia, ita sibi de novo collata, dimiserint, ad priora sua beneficia, non obstante, quòd jam alijs personis collata fuerint, liberè revertantur; sin autem difficultatem exhibeant in illis dimittendis, ipsis ad priora revertendi facultas interclusa sit; & idem observandum circa alios, qui ab his dimissa beneficia dimiserunt, ut si sine difficultate restituant recens accepta, ad priora dimissa liberè reverti possint, alioquin verò non possint.

SUMMARIUM.

1. *Papa collatio aut reservatio impedit inferiorem Ordinarium, quo minus validè conferre possit, tamen rei ignarus sit, ita ut per solam manus appositionem fiat tale beneficium affectum Papæ.*
2. *Redire potest ad beneficium resignatum, qui ex falsa causa per prohibitionem ignorantiam beneficio priori renuntiavit.*

NOtandum primò. Collatio, vel reservatio Papæ impedit, quò minus inferior ordinarius collator validè beneficium tale conferre possit, tamen rei ignarus sit. Ratio peti debet ex prærogativa potestatis Papalis, per quam præveniendò, collationem beneficiorum, aut eadem suæ collationi in futurum reservando, liberè potest alios inferiores ordinarios impedire. *argum. c. 2. hoc lib. & tit.* Addendum verò est, beneficia fieri affecta seu impedita, quò minus ab inferiore conferri possint, non solum per collationem, & reservationem Papæ veram, & validam, sed etiam per solam manus appositionem, ut si Papa alicui beneficii commendam dederit, beneficii renuntiationem acceperit, aut beneficium contulerit, vel conferri mandarit, tamen collatio seu provisio ob personæ inhabilitatem irrita sit, vel mandatum de providendo executioni non detur, quia subreptitium est, aut quia mors intervenit, vel ob aliam causam, seu impedimentum; in tali casu manet beneficium affectum Papæ, prout ex multorum sententia docet *Garzias p. 5. c. 1. §. 2. Cæter in Regul. 8. Gloss. 19.* quamvis *Francus hic n. 1. Abb. in c. intern. 10. de excessib. prelatorum. Petrus Gregorius Tholosanus, de re beneficiar. 24. n. 18.* doceant, si Papa beneficium non reservavit, & collatio ab ipso, vel ad mandatum ejus, à delegato, vel executore facta, irrita fuit, collationem ad Ordinarium reverti; quare secundum hanc sententiam juxta Germaniæ concordatam,